

quorum nihil *Ivoni* repugnat, qui anno demum 1115. e vivis abiit. Adi *Wbartoni Auctarium* in *Jac. Ufferii Hist. dogm. Controv. de Scripturis et Sacris vernac.* Lond. 1690. p. 359. et 395. ubi leges, in *Cod. Lambeth.* praecedere VIII. *Capita* de Chori Officiis, quae lucem haecenus non adspexere, deesse praeterea in *Editis C. ultimum Micrologi*, quo de *Missae* singularumque ejus partium Autoribus agitur. Atqui et istud C. et VIII. illa praecedentia a nostro quoque *Cod.* absunt. Quanquam suspicer *C. ultimum* ab alio aliquo temere adfuturum, cum jam per operis decursum passim Auctores partium *Missae* commemorentur. Probae ceterum lectionis est *Noster*, maloque cum illo c. 2. *Deo dicatae*, quam *dicati*. C. 4. *dicere deberemus*, quam *debemus* &c.

## DCCLXXXIX.

550 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 162. 4. nitide scriptus, rubricisque distinctus complectitur sequentia: I. praemisso *Capp. LXIV.* indiculo, *Incipit migrologus de ecclesiasticis observationibus, in primis de officio missae.* Absunt igitur VIII. illa de Officio Chori *Capita*, quae in *Cod. Lambeth.* praevia se reperisse testatur *Henr. Wbartonus*, ut diximus ad *Cod.* praeced. *Indiculus Capp.* ad verbum cum eo conspirat, qui in *Melch. Hittorpii Collect. Liturgica, Colon.* 1568. p. 436. f. legitur. Initium Textus

est: *Presbiter cum se parat ad missam iuxta romanam consuetudinem &c. C. 2.* habetur: *deo dicatę pro dicati. C. 3. collectam populi multitudinem pro collectam populi. C. 4. dicere deberemus pro debemus, et aliquam traditionem pro rationem &c.* quae dignum probant, ut totus cum *Editis* conferatur. At vero pretium ei ex fine adcrefcit; dum enim *Jac. Faber Parisiis* 1510. et *Job. Cochlaeus Mogunt.* 1549. XXII. duntaxat *Micrologi Capita* ederent, *Jac. autem Pamelius Antwerp.* 1560. ea ad numerum LXII. augeret, *Codex* noster duo saltem superaddit nec in *Cod. Lambethano* contenta *Capita*, quorum *Summaria* ex *Indiculo supracit.* adscribo: LXIII. *Quot dominicę dominico aduentui sint ascribendę. L. XIII.* *Quot ebdomadę dominico aduentui deputentur.* *Caput* prius incipit: *Sunt quidam qui primam dominicam de aduentu domini adeo aliquando anticipant. ut predictam preparationis dominicam non quintam sed sextam ante natalem domini ponant &c.* Alterum: *Legitur etiam a sanctis patribus mystica auctoritate sancitum ut aduentus domini non nisi trium ebdomadaram completionem celebretur. &c.* Addit tamen *quartam partim attingendam*, idque auctoritate *Gelasii, Gregorii, Hilarii et Hieronymi* utroque *Capite* stabilit. Fateor, dum lectionem ingrederer, venisse mihi in mentem *Bernonis Abb. Augiens.* cujus in hoc argumento *Epistolam ad Aribonem Archiep. Mogunt.* vulgaverat *Cl. Pezius Tbes.*

2853

## LITURGICI.

2854

*Tbes. Anecd. T. IV. P. 2. col. 41.* Verum collatione instituta vidi non hic *Bernonem* loqui, sed alium, qui *Bernonis* Epistolam probe legisset, ejusque cum auctoritatibus, tum rationibus uteretur, quod et c. priore testatur, dum ait: *Si quis uero de his omnibus latius considerare voluerit. in libro amelarii pleniter invenire poterit. Item in scriptis domni bernreuerentissimi, et doctissimi abbatis Herigerii &c.* Dixi duobus saltem Capitibus prolixiorum esse *Micrologum* nostrum; accedit enim, quamvis in praevio Indiculo non notata, Disquisitione *De sancto andrea*, utrum videlicet Communio in Missa Vigiliarum et Natalis ejus accipienda sit ex Evangelio diei, an vero Communio Missae Vigiliarum sit sumenda ex Evangelio Natalis et vicissim, quod Nostro *concambrere* dicitur. Atque pro hoc *Concambrere* stat ille, licet in Festo saltem *Andrae* hodie contrarium obtineat. Initium Disquisitionis hujus est: *Festum sancti andreae apostoli persepe infra aduentum domini occurrit &c.* Excipiunt illam Ritus ordinandi Officium in *Dedicatione Ecclesiae infra pascha*, Ritus Officii in II. *Vesperis de Apost. Mart. Conf. Virg. et Dedicatione.* Quando dicendum *Credo*. De diversitate *Praefationum* pro ratione Festorum. De Numero septenario *Scrutiniorum, Exorcismorum, Donorum Baptismi &c.* Demum *Canon* quidam *de Excommunicatis*, quae, an ad *Micrologum* pertineant, an ex ingenio

Librarii adjecta sint, Lectoribus dispiciendum relinquo.

II. fol. 35. p. 2. *Incipit epistola de christo de die dominico.* Epistolam similem exhibet *Fabricius P. I. Cod. Apocr. N. T. p. 309.* ut a *Christo* scriptam; verum cum Nostra praesens finiat: *Ego petrus episcopus iuro uobis omnibus per deum qui fecit celum et terram et omnia quae in eis sunt. et per iesum christum,* non ausus est Librarius has nugas dicere a *Christo* scriptas. Inculcatur vero illis Sabbati christiani observatio.

III. fol. 36. p. 2. *Incipit breuiarium de sanctis per totum annum.* Inducantur videlicet *Epistolae* five *Lectioes* et *Evangelia* ducto initio *De sancto Siluestro papa* ita: *Leet. Ecce sacerdos. Ev. Homo quidam peregre.* Finis in *Nat. S. Thomae Ap.* Plurimi Germaniae Sancti in his oris Codicem scriptum probant.

IV. fol. 41. *Breuiarium.* Sub hac inscriptione aliud *Micrologi* comparet Exemplar, quod tamen *Materiarum* et *Capitum*, quae solum unciali litera indicantur, ordine ab *Hittorpiano* Impresso prorsus abit. Facit enim initium a C. XXXVII. quod ibi inscribitur: *De Officio dum medium Silentium,* et inde decurrit usque ad finem seu C. LXII. quo terminato succedunt Capita a XXIV. ad XXXVII. et tum demum C. I. usque ad C. XXIV. Trajectionis hujus causam non adsequor; neque enim *Materiae* nexus servatus est. Interim *Lectio* magis cum *Impressis* conspirat, quam cum *Exemplo* initio

2855

## C O D I C E S

2856

initio *Codicis* hujus adlato. Legitur tamen fol. 47. p. 2. prave *laodicensis stephanus* pro *Leodiensis*. Adscripta est Quaestio: *Quare noluit dominus alia morte mori, nisi morte crucis?* Quae tractatur eodem modo, ut ab *Isidoro de Eccl. Off. L. I. c. 29.* et ab *Alcuino de Div. Off. c. 18.* et *Comment. in Job. c. 19.*

V. fol. 63. *Litaniae* de omnibus Sanctis cum Precibus. Multum differunt a receptis hodie in Ecclesia. Ad Dioec. *Augustanam* pertinuisse praeter complures *Germaniae* Indigetes suadent inserta *Afrae, Hilariae, Dignae, Eunomiae* et *Eutropiae* Nomina, Benedictino vero Coenobio inservisse palam facit numerus II. *Benedicti* Nomini impositus.

VI. fol. 68. *Incipit Liber Ordinum Episcopaliū.* Potius *Ritualem* dixeris: insunt enim sequentia: *Ritus ordinandi Clericos,* qui incipit: *Mensis primi quarti septimi et decimi sabbatorum die &c.* *Ordo ad benedicendam ecclesiam.* *Reconciliatio uiolatę ecclesię.* *Benedictio super candelas in purificatione S. Marię.* *Cineris.* *Super Ramos palmarum.* *Reconciliatio Penitentium in Cena Domini.* *Ordo in die cenę.* *Decretum quod clerus et populus firmare debet de electo episcopo.* *Examinatio ordinandi episcopi.* *Benedictio episcoporum.* *Ordo ad monachos benedicendos,* sed erafum monachos et rescriptum canonicos. Ita et mox in *Promissione regulari* pro *Benedicti,* ut puto, rescriptum *Augustini* et *preposito* pro *abbate.* *Ordo abbatem benedi-*

*lendi. Consecrandi uirgines.* *Ad benedicendam Abbatissam.* *Ad capillos paruulorum incidendos.* *Ad clericum faciendum.* *Edictum quod dat pontifex episcopo cum benedicitur.* *Benedictio nouę Crucis.* *Super capjellas et fustes.* *Ensis.* *Nouarum frugum.* *Malorum in festiuitate sancti Xisti.* *Herbarum in assumptione S. Marię.* *Ad omnia edenda.* *Agni ceterarumque carniū in pasca.* *Ordo baptisterii.* *Visitacio infirmorum.* *Ordo defunctorum.* *Benedictio ad calidum Ferrum.* *Iudicium Aquę frigidę.* Plurima ex his, licet alia serie, reperiuntur in *Ordine Romano,* alia in *Muratorii Liturgia Vet. Rom.* et *Martenio de antiq. Eccl. Ritibus.*

VII. fol. 161. p. 2. adscripta sunt: 1°. *Differentia Missae pro Defunctis* a consueta *Missae.* 2°. *Praedictio fabulosa de VII. Diebus* extremum *Iudicium* antegressuris. 3°. *Ὀνειδολογικόν* ordine alphabetico, abruptum in litera I. 4°. *Decretum* quod factum dicitur *Anno dominice incarnationis millesimo XXIII.* anno *beinrici imperatoris XVIII.* cum *XII. episcopis,* ut *plebs christiana quatuordecim dies ante festiuitatem sancti iohannis abstineret a carne et sagimine (adipe).* *Ordinantur* et alia *jejunia,* et *observanda,* sed pagina valde extrita est; non tamen ita, ut non se prodant prima II. *Capitula Synodi Provincialis in Salegunstat,* hodie *Seligenstadt,* celebratae ab *Aribone Archiep. Moguntino* a. *MXXII.* non *MXXIII.* *Adi T. III. Concil. Germ.* p. 55. ubi videbis *Codicem* non

tan-

2857

## LITURGICI.

2858

tantum annorum, sed et Episcoporum numero laborare. Erronee tamen ibi in primo Exemplo legitur *sanguinis* pro *sagiminis*, quod in altero p. 58. rite cautum fuit.

## DCCXC.

370 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 188. f. nitidissime scriptus, rubricisque enotatus hac inscriptione gaudet: *Prologus sequentis opusculi de diuinis officiis per circulum anni*. Initium est: *Ea quae per circulum anni ordine constituto in diuinis aguntur officiis &c.* Tractatus hic ad *Rupertum* Abb. *Tuitiensem* O. S. B. clarum Sec. XII. Scriptorem pertinet, a quo missum Exemplar ad *Cunonem* Ep. *Ratisbon.* opinatur se vidisse inter S. *Emmerami* Codices Cl. *Bern.* *Pezius* T. I. *Tbes. Anecd. Dissert. Isagog.* p. 39. Abest a *Nostro* praevia ad *Cunonem* *Epistola*, quae tamen habetur Tractatui praefixa in edit. *Opp. Ruperti Veneta* 1751. T. IV. p. 3. Liber I. ita incipit: *Septem canonicas horas diei non licet a quoquam &c.* A Libro VIII. neglexit Scriba novorum Librorum notare initia. Integrum tamen decurrit Opus usque ad *ultimum* L. XII. Caput de *Nocturnis Lektionibus a mense Septembri*, quod excidit, *Codice* in haec verba desinente: *tanto difficilior victoria*, quae Caput penult. in Editis terminant. Lektionis ab his discrepantia exigua est. Ita in *Praef.* nonnisi *terra purgata pro purpura-*  
Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

ta habetur. Sed luculentior in Edit. error sub finem L. VI. c. 36. p. 81. *jam dictum est pro dicendum est.*

In fronte *Cod.* legitur: *Iste liber pertinet monasterio beate marie magdalene in franckentall inter spiram et wormaciam canonicorum regularium ordinis sancti augustini episcopi et doctoris.* Addidit alius: *Dono datus mihi hic liber a curatore presente priore quia in eadem libraria aliud exemplar habebant.*

## DCCXCI.

Codex membraneus lat. Sec. 386 XII. Folior. 101. 4. probe scriptus et rubricis distinctus *Liturgicus* est, cujus titulus ex his *Prologi* verbis innotescit: *Ob hanc causam libellum de diuinis officiis ut iussistis edidi. cui nomen gemma anime indidi. quia uidelicet ueluti aurum gemma ornatur. sic anima diuino officio decoratur.* Autor, qui hic tacetur, est *Honorius* Presb. *Augustodunensis*, qui non, ut in *Fabric. Bibl. med. Lat.* circa an. 1300. sed in confinio Sec. XI. et XII. floruit, et non raro *Solitarii*, quin *Inclusi* nomine venit. Opus nostrum, quod post iteratas Editiones receptum est in *PP. Bibliothecas*, et in *Lugd. T. XX.* p. 1046. legitur, incipit ab *Epistola Solitariorum*, qua hunc laborem a *Solitario* expetunt, ejusque *Responso.* *Agmen in Castris eterni Regis exubans &c.* et: *Postquam christo fauente pelagus scripture prospero cursu in summa totius transcucurri &c.* Ad quae verba obser-